

tatique gentis Illustrissimæ intervet , ut bullæ illius Pontificiæ in hoc opere locus concedatur , præsertim cum Titulus *Nobilis Viri* & *Nobilis Mulieris* Johanni Eberstorffio , & Gertrudi Stahrenbergiæ ibi datus, non nisi Illustrioribus Familiis etiam Principum Dignitate fulgentibus à summis Pontificibus tribui soleat. Est autem hujus tenoris: *Eugenius Episcopus Servus Servorum DEI Venerabili fratri Episcopo Pataviensi salutem & Apostolicam benedictionem , sincerae devotionis affectus , quem dilectus filius Nobilis Vir Johannes de Eberstorff Baro , & Supremus Camerarius Ducatus Austriae, ac dilecta in Christo filia Nobilis mulier Gertrudis de Stahrenberg Baronissa tua Diœcesis ad Nos & Romanam gerunt Ecclesiam non indignè promeretur ut votis eorum, præsertim quibus pacem & tranquillitatem inter Christi fideles confoveri pie adoptare videntur , quantum cum DEO possumus favorabiliter annuamus , sane pro parte dictorum Johannis , & Gertrudis nobis nuper exhibita petitio continebat : Ipsi quorum ditioni temporali plurima Castra , villa & utrinsque sexus homines subsunt aliquorum suorum parentum & amicorum nec non Magnatum , & Nobilium partium illarū consiliis & deliberationibus inherenat , & ist etiam inter eosdem Parentes amicos & homines pax & tranquillitas exuberent atque solidentur nec non inconvenientiis , que alias inibi verisimilius emergere possent , via praeccludatur , desiderent invicem matrimonialiter copulari . Cum autem iidem Johannes & Gertrudis obstante secundi gradus affinitatis, ex eo videlicet provenientis , cum quondam Barbara Baronissa ejusdem Johannis Uxor dicta Gertrudi collateraliter secundo consanguinitatis gradus conjuncta fuerat , impedimento, hoc eorum desiderium sine sedis Apostolica dispensationis suffragio nequeant adimplere , pro parte ipsorum nobis fuit humiliter supplicatum, ut super his-eis opportunè providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur qui inter Christi fideles quoslibet potissimum generis Nobilitate pollentes pacem & tranquillitatem confoveri firmariquè propensius affectamus , ex præmissis & certis aliis nobis expositis causis horum supplicationibus inclinati Fraternitati tua , de qua in his & aliis specialem in Domino fiduciam obtinemus , per Apostolica scripta mandamus , quatenus si est ita dictaque Gertrudis propter hoc raptæ non fuit cum iisdem Johanne & Gertrude , ut impedimento non obstante præmisso matrimonium inter se liberè contrahere , & in illo postquam contractum fuerit , remanere licet valeant , Apostolica authoritate dispenses , prolem ex horum matrimonio suscipiendam legitimam nunciando . datum Bononia Anno incarnationis*